

Primò vel ὁμόσημοι, vel ἐπερόσημοι.

Vox ὁμόσημοι est, quæ cum aliâ collata planè idem significat: sive ambæ sint unius linguæ, ut λατρεία & δαλεία, ensis & gladius: sive diversarum linguarum, ut ἄρτος, panis; εἶδωλον, simulacrum.

Grammaticis hæc vocabula dicuntur ἰσοδυναμῆς, æquipollentia, ut suprâ diximus, item Synonyma. Ubi hic canon notandus:

*In tractatione thematis verbalis non solum unius linguæ synonyma sunt coacervanda, sed etiam diversarum, maximè principalium, & vernaculæ.*

Exempli gratiâ, homo Latinis aliâ voce dicitur mortalis; Græcis ἀνθρώπος & μέροψ; Hebræis Adam & Enosch; Germanis mensch.

Vox ἐπερόσημοι est, quæ aliud significat, quàm ea, cum quâ confertur:

Ut homo & platanus; serperastra & circinus, circinus & circulus; vena, arteria & nervus.

Deinde est vel verè, vel apparenter conjugata.

Verè conjugata vox est, quæ ejusdem cum alterâ est originis & significationis diversæ; ut Deus & deitas; divinus, divinitas.

Apparenter conjugata est, quæ ejusdem quidem cum alterâ est originis, at significationis planè adversæ: ut informare & informis.

Hic distinguimus inter significationem diversam & adversam, secuti Logicorum illam maximam: *diversa non sunt adversa*. Diversam illam significationem poteris etiam appellare subordinatam, & dependentem. Sic sapiens & sapientia sunt significationis subordinatæ seu dependentis.